

promulgent ac resonent gloriámque tuam splendidam fulgida & fulminanti spiraculi tui virtute viventibus annuncient, spiritu suo non sine strepitu & rumore ingenti atque horrendo proclament veluti universo orbi admirabilia tua regis & authoris sui opera, & ineffabilem tui brachii potestatem mundi creaturis explicent, murmura & rugitus magnos edant maria spiritu secreta commota, quo tuam conditoris & creatoris sui omnipotentiam, & imperium tono gravi atque stupendo exaltare percipiantur, & præsentia tui, regis sui, gaudio haud communi perfusa, motu proportionem commensurato, fluxu & refluxu ordinato fluctibus undosis harmonia metrica salientibus reflexo terram ambire observentur; Terræ fundamenta viva actuum tuorum nobilium commemoratione contremiscant, & exultatione quadam divinitus inspirata in honorem tuum saltare videantur, decore metrico proportionibusque idoneis in campis Elysiis pratisve æthereis coram te, igneo suo imperatore, more triumphali tripudiare, & lætitia quasi insigni exultare perseverent rutili tui cælorum ignes, huc atque illuc ad nutum tuum feratur atque decoretur universus mundi spiritus (vera hylæ soboles) igneisque tuis impressionibus se subiectum reddat & mysticos tuorum creatoris sui operum nobilium recipiat characteres; Tenebræ deformes, hylaque inanis tuo verbo & solo intuitu, vita quasi nova & insolita exagitentur, & ex nihilo aliquid efficiantur: Denique cælum, terra, hyla, abyssus, spiritus, seu aquæ invisibiles, mare, fontes, flumina, pluvix, grandines, nives, tonitrua, fulgura, venti, & cuncta alia Macrocosmi advenientia, laudes & encomia tua, ô Elohim ineffabilis, ebuccinare & spiritui universo publicare gaudeant. Quid etiam minus potest homo Microcosmus tunc præstare, quam ipse Macrocosmus in insignium tuarum laudum celebratione, quæ secundum à Macrocosmo æternitatis Dominum statuisti, dum in ipsum cujusque Macrocosmi mysterii portionem inclusisti sacrosanctoque vitæ spiraculo immediatè ab ore efflato eum imbuiisti?

<sup>a</sup> Atque etiam, quia *adorationibus, laudibus, obsequiisque hominis delectaris*, idèò tu imprimis & summo jure honoribus, precibus, sacrificiis, & gratissimis gratiis ab eo honorandus es, quippe qui ex infinita tua in illum benevolentia, <sup>b</sup> non modo *eum tibi similem creasti, etique tanquam filio tuo congratulatus es.* Verum etiam sapientiam, <sup>c</sup> tuam (in <sup>d</sup> dextra dierum seu annorum, seu vitæ longitudinem tenentè, in sinistra verò divitias & dignitatem, <sup>e</sup> è cælis sanctis misisti, ut cum eo maneat atque laboret, quò sciat, quid sit acceptum apud te, <sup>f</sup> atque ut triumphantem cuique bene merenti gloriæ coronam attribuat.) Nomini ergo tuo ineffabili (ô DEUS fortis exercituum) <sup>g</sup> *Hominiis petra, propugnaculum, rupisque sola, ad quem*

<sup>a</sup> M. Trif. Asclep.

<sup>b</sup> M. Trif. Pim. 1. Ge.

<sup>c</sup> Sap. 10.

<sup>d</sup> Prov. 3. 16.

<sup>e</sup> Sap. 10. f Prov. 4. 9.

<sup>g</sup> Ps. 59. 6. 18. 12.

46. 1. 27. 1.

84. 12.

se